



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Domitii Plati Societatis Iesv Theologi, De Domini  
Nostri Iesv Christi Passione**

**Piatti, Domizio**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

De tormentis quæ Christus in sensibus suis perpressus est, & primum in  
visu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49474](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49474)

CONSIDERATIO III. 311

Ambrosio attestante, valdè mirum fuit. *Lib. 10. in Luc. cap. 3.*  
*Primum*, quia ab homine mortuo processit; cum post spiritus emissionem sanguis in corporibus ferè soleat congelari. *Deinde*, quia ex vno vulnere sanguis & aqua simul prodijt, non permixtim, neque confusè, sed distinctè, idque eodem tempore: quod cum S. Euangelistæ Ioanni miraculosum, vti reuera erat, videretur, vt dictis suis maiorem adderet efficaciam, mox subiunxit, se oculatum huius rei testem extitisse, ideoque testimonium de illa perhibere. *Exiuit sanguis & aqua; & qui vidit, Ioan. 19. testimonium perhibuit.*

DE TORMENTIS QUAE  
 Christus in sensibus suis perpeffus est:  
 & primum in visu.

CONSIDERA Christū in sensu visus vehementer cruciatū fuisse. *Primo*, propter velū, quo sanctissimi oculi eius obuelati fuerūt, illis qui circūstabant, eū deridētibus, alapis cædētibus, atq; vti S. Lucas affirmat dicentibus: *Prophetiza, quis est qui te percussit?*

I.  
 Tormenta  
 quæ Christi  
 in visu  
 perpeffus  
 est.  
 Luc. 22.  
 Matth. 26.  
 Marc. 14.

*Secundò*, propter ingentē abundantiam lachrymarū, quæ à purissimis oculis eius tempore passionis processerunt, & velut aquæ tribulationum per diuersos riuos defluentes terram irrigarunt.

2.

Ter-

3. *Tertio*, propter sanguinem, qui à capite spinarum aculeis perforato, in faciem & oculos tanta copia decurrebat, ut pro necessarium fuerit, inde aspectum eius obfuscari, iuxta illud, quod in figura ipsius S. Iob prædixerat. *Palpebra mea caligaverunt.*
4. *Quarto*, propter violentiam puncturum capitis: quæ habebant dolorificam quandam correspondentiam à capite in oculos: quemadmodum significatum fuit per Ieremiam dicentem. *Oculus meus confectus est.*
5. *Quinto*, quod inimicos suos crudeliter efferatos præsentis cerneret, illorumque cæcitatem peruideret.
6. *Ad extremum*, propter aspectum dilectissimæ matris suæ, afflictæ suæ causæ, & aliarum mulierum se insequentium & lamentantium.

DE TORMENTIS QUAE  
Christus in gustu perpeffus  
fuit.

I.  
Tormenta  
gustus.

CONSIDERA Christum in hoc sensu, incredibiliter cruciatum fuisse. *Primo*, propter sitim flagrantissimam, qua supra modum affligebatur, quæ profecta erat ab ingenti lassitudine, & copioso sanguine ex omnibus venis profuso.